



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Murenulæ Sacræ Vestis Sponsæ Regis Æterni  
Vermiculatæ Opus, De Privilegiis Ordinum Regularium**

**Alviset, Virginus**

**Campidonæ, 1673**

§. 1. De Capitibus ex quibus meretur privilegiatus amittere privil.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62361](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62361)

vel restringere usum alicujus privilegii nisi ad hoc habeant specialem auctoritatem à Papa, tunc quia privilegia habent naturam legis, inò sunt leges privatae, inferiores autem nò possunt tollere legem à Superiore positam. Tum quia sicut nemo dat quòd non habet, sic neque aufert, quòd non dedit, Pralati autè Regularium non dederunt ipsis sua privilegia. Ita Roder. *tom. 1. qq. reg. qu. a. 2.* Quòd si de facto ita contingat, aliquod privilegium tolli, vel limitari in aliquo Ordine, non tenebitur, alius illo abstinere, aut limitationi se conformare, etiamsi sortè illud acquisierit per solam viam communicationis, ab illo primo cui fuit limitatum, vel sublatum, & Ratio est, quia Ordines regulares utuntur privilegiis independentèr à se invicem. Ita Portel. *in sum. qq. reg. v. privil. commu.* Ubi sic infit. licèt aliqua Religio, cui originariè fuit concessum aliquod privilegium, illud mutet, & eo non utatur, per revocationem Superiorum, alià tamè Religio cui communicatum fuit, potest illo uti plenariè, & secundùm formam concessionis. Et ita etiam præter Portel. tenent Cordub. *in comp. privil. v. communicatio.* Mirand. *in man. p. 2. qu. 42. art. 5.* Molphes. *in sum. tr. 9. cap. 12.* Roder. *tom. 1. qq. reg. 9. art. 9.* & in ejus compendio Patres Recollecti. *v. communicatio* Et Bonac. *de privil. prop. 7. §. 2.* Vide dicta *c. 3. §. 4.* ubi de communicat. privileg. *v. vñ autem.* Et hæc nota pro dicendis *3. scit. seq. c. 2.* ubi de benedictionibus *num. 11.*

23 Neque Episcopi, neque Principes, aut Magistratus temporales possunt prohibere Regulares à legitimo usu suorum privilegiorum. Sin autem? locus est compensationi occulta. Patet, quia Regulares non sunt illis subditi, & multominus Papa, ejusvè leges, & jurà ab illo sancita. Dixi autem legitimo usu, quia secus esset ubi inveniretur manifestus abusus, cum

justa defensio sit de jurè natura, & Princeps, & Episcopus sint advocati & protectores suorù subditorum, quibus jucumbit, ab ipsis avertere damna, si qua Regulares abutendo suis privilegiis, vellent illis inferre. Vide scit. *seq. c. 1. §. 1. v. 13.*

## CAPUT VIII.

## De Amissione Privilegiorum.

DUobus modis potest amitti aliquod privilegium, nempe *causaliter*, & in actu primo; aut *effectivè*, & in actu secundo. Causaliter quidem, quando supervenit aliqua circumstantia, propter quam judicio prudentis viri, judicatur jam illicitus & injustus usus talis privilegii, licèt interim adhuc toleretur. Quo casu privilegiatus non dicitur adhuc amisisse privilegium, sed mereri amittere, & causam supervenisse propter quam expediat, ipsum illo spoliare. At verò amittitur privilegium *effectivè*, & in actu secundo, quando seu Autoritate Superioris tollitur seu aliqua alia via ex recensendis penitus extinguitur, & taliter, ut jam omnis illius usus non modò sit illicitus, sed etiam nullius virtutis & efficacia. De hoc utroque modo amittendi privilegia, *mutatoriè* & *effectivè*, ego agam in seqq.

## §. I.

De Capitibus, ex quibus Privilegiatus meretur amittere Privilegium.

## SUMMARIUM.

- 1 Meretur quis amittere Privilegium ex culpa vel ex causa.
- 2 Amittitur Privilegiù propter abusum, & quando.
- 3 Abusus quid importet & seq.
- 5 Amittitur Privilegium propter crimen.
- 6 Propter

6 Propter vitam alienam à statu proprio.

7 Si alius sua quis non servat.

8 Si non concessa usurpat.

9 Ob causam supervenientem.

10 Quando Privilegium est aliis damnosum, quid faciendum.

¶ Iusmodi capita sunt duo, ad quæ omnia, (si quæ sint) alia possunt revocari, nempe illa eadem ex quibus effectivè, & in actu secundo contingit auferri à Superiore, puta ex culpa, & ex causa. Et hoc rursus multis modis, de quibus Gloss. in *c. renovantes d. 22.* Et primò quidem propter abusum *c. ubi ista d. 74. c. privilegium 11. q. 3. c. licet de Regul. c. ut privilegium de privil. & auth. ut iud. sine quoq. suffrag. s. penult.* Tunc verò censetur quis abuti suo privilegio, cum illo utitur vel in alium finem, vel alio modo, quàm intendit Superior, qui concessit. *l. 19. & 34. ff. de usus.* verùm, ut ex hoc capite judicetur quis dignus amittere privilegium suum, oportet primò ut abusus seu excessus sit in se notabilis, id est talis, & tam gravis, ut inde generetur scandalum. Nam ego adverto, quòd quoties in iure fit mentio abusus, non nominatur solitariè, sed semper cum adjuncto designante gravitatem, & enormitatem in excessu, qui dicitur abusus, ut in *c. sedes de refer.* Ubi dicuntur quidam abuti nequiter. Et in *c. permissus de cel. miss.* Ubi abusus appellatur permissus. Et in *c. Canonici de off. ord. in 6.* Ubi dicitur detestabilis, &c. Et sic non omnis excessus in privilegii usu statim debet appellari abusus, sed tunc tantùm, cum est enormis & generat scandalum, ob admixtum aliud vitium. Sed & secundò ad notam abusus & ad hoc ut occasione illius dicatur quis dignus spoliari suo privilegio, requiritur aliqua frequentia, seu consuetudo sic excedendi, hoc enim sonat vox ipsa usus & abusus. Quamvis interdum ex bino actu

inducatur consuetudo secundum leges *l. nemo deinceps C. Epif. aud.* Ut excessus & abusus possit esse talis, ut post ejus iterationem judicetur privilegiatus indignus privilegio, & illo spoliandus per ea quæ tractant, & docent. *Innoc. c. 1. de si de iuss. Farinas. in pra. qu. 20. & Gisler. in jud. regul. cap. 18.* Quando verò aut quomodo tolli debeant abusus, aut tolerari. Vide *c. et si 1. quest. 7.* Et ibi DD.

Alterum caput, propter quod meretur quis amittere suum privilegium, est propter delictum, puta, si vitam turpè ducit, aut crimen commisit, quod omni honore & gratia indignum illum reddat, qua ratione v. g. Civitas Syllana, quæ bis suos Episcopos occidit, Sede Episcopali fuit privata à Gelasio Papa de quo in *c. ita nos 25. quest. 2.* Vide DD. in *c. talia d. qu. 3. c. ad audentia. c. in quibusdam de pen. l. plio ff. de rit. nupt. & l. 2. C. ubi Senat. vel Clariss.*

Tertiò. Si non vivit conformiter ad illum statum, cujus intuitu, illud fuit consecutus. Et hac ratione v. g. Clericus negotiator, vel qui non incedit in habitu, & tonsura, privatur privilegiis Clericalibus *c. ex literis sin. de rit. & hon. Cler. c. in audentia, & c. contingit 2. de sent. excom.*

Quartò si sua aliis non servat *c. dilecti de privil. ubi Gloss. & Panor.* Quia injuriam sibi facit qui fratrum suorum jura perturbat. *c. quod vero 25. q. 2.* Unde in *c. esto subiectus d. 95.* Scitum est illud *Oratoris Domiti: cur ego te habeam ut Principem, cum tu me non habeas ut Senatorem?* ubi benè Gloss. addit: frustra quem aliquid ab aliis petere, qui quod eis debet, non impendit.

Quintò si suis non contentus, alia non non concessa usurpat. *c. ubi d. 74. c. sic decet 25. quest. 2. & c. 1. & 2. de Cler. non ordinat. ministr.*

Sextò propter causam supervenientem, *l. ex facto ff. de vulg. & pupill.* Hoc est si incipit

cit esse aliis nimis onerosum, & damnosum *c. dilecti & c. suggestum de decim. Gloss. cap. quid pernovale de verb. sign. Panor. eod. & c. cum ad hos de cler. non resid. Specul. tit. de instr. edit. §. 11. lib. 2. Corraf. in tract. de privil. Quo casu volunt DD. ut reducat ad debitam æquitatem, & moderationem. Verum si enormem læsionem infert, absolute cessare, tenent Guil. Bened. in cap. ragnutius de testa. v. & uxorem nu. 253. Reb. in pra. p. 1. tit. de differ. int. reser. & privileg. nu. 44. & alii apud ipsum.*

## S. II.

De Capitibus ex quibus effectivè amittitur Privilegium.

## SUMMARIUM.

- 1 Privilegia amittuntur 6. modis.
- 2 Amisso Privilegio, nefas ad illud redire.
- 3 In dubio Privilegium non presumitur amissum.
- 1 Sicut sex viis acquirantur Privilegia, ita & sex amittuntur, scilicet per revocationem, renuntiationem, cessationem causam, non usum, contrariū usum, & præscriptionem, de quibus omnibus acturus infrequentibus, id in communi dixero, quòd quacunq; via, & quocunq; ex capite amittatur aliquod privilegium postquam tamen semel amissū fuerit, jam omnis illius usus incipit esse illicitus. Adeo ut nefas sit, ad illud redire. Unde Joann. Ant. de Nigris in extrav. unic. de vit. & bon. cler. comparat privilegiū amissum virginitati de qua Poëta. Nulla reparabilis arte, lapsa pudicitia est. Id dubio tamen, nullum privilegium reputatur amissum, ut notat Gloss. in sum. 25. q. 2 Feder. Roman. Gambar. Boer. & Seraph. quos citat, & sequitur Tambur. r. 1. de iur. Abb. d. 16. q. 10. Quia ex quo constat de concessione, & non de amissione, possessio stat pro existentia.

## ARTICULUS I.

De Amissione Privilegiorum per revocationem.

## SUMMARIUM.

- 1 Per quas causas res nascitur, per eas destruitur.
- 2 Revocatio privilegii dicitur mutationem iudiciorum in principe.
- 3 Princeps revocans privilegium facit contra suam dignitatem.
- 4 Quod in principe est indecens, iudicatur impossibile.
- 5 Ex causa potest tolli privilegium.
- 6 Sed hæc causa debet respicere utilitatē publicam.
- 7 Et tenetur Princeps compensare privilegium.
- 8 Sine causa non potest tolli privilegium.
- 9 Existente causa ad dispensandum, peccat Superior, si non dispensat.
- 10 Alias peccat Princeps.
- 11 Id solum dicimus posse, quod de jure.
- 12 Valet revocatio privilegii, etiam si Princeps revocando peccaverit.
- 13 Privilegium cause pie an revocabile.
- 14 An concessum ad instantiam Principis.
- 15 An concessum non subdito.
- 16 Donatio acceptata non potest revocari.
- 17 Concessum per modum simplicis gratia potest revocari, & 22.
- 18 An concessum per modum remunerationis.
- 19 An si transit in naturam contractus, & 25.
- 20 Que sunt juris nature, non subiacent voluntati humane.
- 21 Papa & quivis Princeps tenetur servare contractum, ibid.
- 21 An possit in aliquo casu ab eo recedere.
- 24 Sola voluntas in Principe sufficit ad revocandum privilegium gratiosum.
- 26 In revocatione privilegii quatuor servanda.
- 27 Quomodo revocatio intimanda.
- 28 Ea revocationis promulgatio sufficit ad reddendum illicitum usum privilegii, quæ sufficit in lege, ad hoc ut obliget.